DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

COMPLECTENS

OBSERVATIONES

QUASDAM

DE FEBRE REMITTENTE,

QUÆ GRASSABATUR

IN INSULA SANCTA LUCIA,

AB AUGUSTO 1796 AD MARTIUM 1798.

AUCTORE COLINO ALLAN.

INTER morbos, quos mihi contigit videre, quique tantas strages ediderunt in Insula Sancta Lucia, annis 1796, 1797, et 1798, febres remittentes et intermittentes, sive ad periculum sive ad frequentiam respicias, principem locum sibi facilè vindicant. Illae longè lethaliores nec omnino eaedem erant, quippe quae aliquando intra tertium diem

peractum, aliquando usque ad diem decimum interemerunt. Hae autem, quotidianae nempe, rarò enim tertianae, nunquam quartanae visae sunt, haud infrequenter primarios morbos sese praebebant. Morbi alii multò rariores erant, et vix ullos cognovi primarios, nisi subinde dysenteriam vel hepatitidem acutam.

Febris remittens, quando ipsa occidendi exsors, haud rarô reliquit seminium vel intermittentis, vel dysenteriae aut obstructionum viscerum in abdomine, vel denique ulcerum in cruribus, quorum magna pars, valetudine aegrotantium tandem penitus conquassata, in mortem desiit.

In animo est sermonem habere, praesertim de febre remittente graviore, nec omnino caeteros morbos silentio praetermittam, si quicquid mihi fortè succurrerit de juvantibus vel laedentibus quod commemorare operae praetium fuerit. Neque, ita faciens, a via naturae reverà aberravero, quip-

pe quia hi morbi in eodem aegrotante vel simul vel continuâ serie conjungantur saepissime.

Sensus frigoris, si sit praesens, est perobscurus; ferè nunquam horror; semper adest molestia generalis quam indicant jactationes artuum crebrae, sed sine fructu, ad sensus corporis ingratos sublevandos. Cutis est siccior, et lingua albida et frequenter muco obducta est. Dolor aliquando lumbos, frequentiùs caput tantùm, et interdum, utramque partem malè habet. Plus minusve sensus ingrati inest epigastrio, antequam distinctè aderit nausea. Sunt dolores totius corporis, praecipuè in cruribus et brachiis, et alvus saepissime astrictior est. Cutis frigidior astanti sentitur, calor illicô augescit, sènsus caloris faciei, respondet dolori in capite, oculique vividiores fiunt. Pulsus vix est mutatus, at si aliter se habeat, paulo frequentior est et validior. Vires tantò imminutae sunt ut aeger, nisi impediatur, improvidè humi sese projiciat.

In exemplis paucis adest species inebrietatis, vix ac ne vix quidem, nisi testimonio astantium, distinguenda. Adde his omnibus statum animi morosum, anxium, exitui morbi plerumque malè fidentem, et tenes praecipua febris ineuntis symptomata.

Haec gravioribus saltem in exemplis citissimè ingravescunt. Nausea augescit, incipit vomitus, et sitis magna aegrum infestat. Quando vomitus aliquamdiu perduraverit, bilis ejicitur, et mucus quo lingua obducta fuerat, devenit subflavus. Angor et dolor multùm urgent, et cibus visus tantùm statim ciet nauseam. Sitis est maxima, vix quidem sedabilis, miser enim potum illicò rejiciendum devorat.

Dolores totius corporis, praecipuè artuum, tam vehementer augentur, ut minimo quovis nisu, aegri decumbentes, summo dolore afficiantur. Urina parca est et rubra. Nonnunquam dolor capitis fit acerrimus, ita ut crucientur et delirent. Oculi lucem vix

tolerant, palpebrae ferè semper partim clauduntur, et si inspiciantur oculi, nitentes apparent. Minimus eorum motus ad latus utrumvis, dolorem pungentem ciet, qui sinciput transversim et profundiùs percurrit.

Post horas quatuordecim vel sexdecim a vomitu ingruente, omnia symptomata, nulla excretione naturali vix aucta, subsidunt atque remittunt, hac tamen lege, ut febris nunquam excesserit. Hoc levamen durat per aliquot horas.

Post breve tempus exacerbantur symptomata, ac vomitus praesertim, si quando omnino abfuerit; et circiter intervallum viginti quatuor horarum a prima morbi aggressione, majore vi quàm antea redintegrantur. Vomitus immanior devenit, multa bilis cum magna vi ejicitur, et interdum oculi cutisque flavescunt, praecipuê si vomitus diu graviterve perstiterit, vel alvus, sive ex incuria aegri aut negligentia medici seu ex ventriculi irritabilitate saepius nulla arte

domanda, diutiùs conquieverit. Obnixê aeger flagitat aquam frigidam, quam, si detur, avidissimè bibit. Omnia fiunt pejora quippe quibus addatur delirium vehemens, quod comitatur pervicacia insuperabilis, quò fit ut potum, et cibum et medicinam aeque renuant atque recusent. Coma interdum subsequitur, et sicubi ex hoc statu expergefactus fuerit aeger, statim respondet sat bene, sciscitanti quomodo talis se habeat, sed ita tamen ut planè constet suae mentis non esse. Species materiei quae subinde et magna quantitate et maxima vi per os redditur, ex colore viridi vel flavo nigrescit et vomitus rarior evenit. Singultus urget; omnia quae labiis offeruntur, constantissimè rejiciuntur vel respuuntur, aqua dempta, qua oblata nihil magis valebat ad coma aliquantisper frangendum, at haec aeque ac quivis alius potus mox vomitur. Lingua arida est et fusca, et si protrusa fuerit tremula, os apertum, caput nonnunquam retractum, respiratio difficilis laboriosa et obstrepens, deglutiendi facultas perdita fermê

est et omnis conatus ut medicina vel potus adhibeatur suffocationem minitatur. Oculi sunt sine nitore et si colorati sint, quàm maximê flavi; sin aliter, color faciei et cutis, colli imprimis, sublividus est et squalidus, et signum longê lethalius erat quàm color ex bile flavissimus: facillimê autem alius ab alio distingui poterat. Pedes et crura, manus et brachia fiebant frigida, lapidis instar, et hoc algore gradatim subeunte, hic status quasi vitam inter et mortem durabat longiùs quam facilè credi possit ex tempore quo certissimê de aegro actum erat. Spasmi leves frequenter recurrentes, labiorum praecipuê, cum dentibus compressis aderant pluribus in exemplis; in quibusdam verô convulsiones vehementissimae finem vitae subitum fecerunt.

Pulsus qui morbo incipiente ferè semper plenus est et frequens, fit lentior, appropinquante comate, et minus compressu facilis, at postea frequentissimus, debilis, vacillans neque unquam intercisus.

Quandocunque haec varietas morbi cursum non sic finivit, febris post paroxysmum vel potiùs exacerbationem secundam aliquantulùm decrescebat, at accessio tertia citiùs rediit et dum minus vehemens inexperto videbatur, mors subitò secuta est.

Quoniam casus ferè omnes hujusmodi inceperunt longiori intervallo et a casis militum et a nosocomio, nequivi comprobare adortum morbi testimonio meo. Sed nullus dubito quin eventus fatalis ante finem diei quarti in omnibus supervenerit. Unum exemplum hujus generis mihi contigit videre ipso ex primordio, et satis superque comperi aegrum intra septuaginta duas horas mortem obiisse.

Sed plerisque in exemplis febris remittens non adeo festinabat, et re ita se habente, dolores capitis totiusque corporis erant minores, remissiones magis notabiles, calor minor, cutis mollis et aliquando humidior, et inter exacerbationes quae vix in sudorem

desierunt quasque apyrexia nunquam excipiebat, vomitus plerumque cessavit, etsi ventriculus quàm facilè irritabilis permanebat. Quoniam in his exemplis hoc organum minus vexabatur, intestina faciliùs et exinde maturiùs ciebantur, lingua quanquam muco obducta non fiebat sicca, delirium si fortè adfuerit, minus vehemens et nunquam nisi in casibus lethalibus aderat multum stuporis. Durabat morbus sub hac forma mitiore usque ad sextum, octavum vel decimum diem, accessionibus satis regularibus, quam post periodum vix lethalis erat, nisi recidiva vel in alios morbos chronicos mutata esset.

In quibusdam horum casuum eruptio erat vesicularum vel potius pustularum, plerumque prope partes quibus vesicatoria admota fuerant, quaeque acu apertae dabant materiem non ita spissam, quae sine pruritu in crustam abiit.

In aliis exemplis haud dissimilibus, appa-

ruerunt parvae superficies, inflammatae, dolentes et acuminatae, ex quibus potuit aeger premere aliquantulum puris tenacis, et quae intactae induruerunt et paulatim evanuerunt. Neque haec eruptio mihi videbatur magis critica quàm prior, quia prognosis aliis ex symptomatis jamjam fausta fuit.

Haemorrhagiae ex naribus, faucibus et gutture interdum, sed nunquam nisi in periodo provectiore morbi recidivi acciderunt. Hoc symptoma minimè benignum erat, nec fatale tamen ac ideo non criticum mihi videbatur.

Maculae purpureae circiter pisi magnitudinem, irregulares, non elevatae, erant sparsae super faciem et brachia aegrorum trium, quorum in uno per totum corpus dispergebantur. Duo sunt mortui et in omnibus tribus singultus has maculas comitabatur et dignum est notatu, febrem in duobus exemplis fatalibus stipatam fuisse vomitu max-

imo quem excepit ille crurum algor post horas multas in mortem desinens.

Nisi in tribus aliis aegris, qui omnes, ut certô exquisitum est, plures annos degerant his in regionibus, et quorum febres multo diutiùs traxerunt quam solemne erat etiam huic formæ longiori, nunquam vidi febrem quæ multùm referebat typhum Doctoris CULLEN, quæ tam graphicè depicta fuit olim ab HUXHAM et recentius a Domino CAMPBELL. Quoniam vidi hunc morbum magnopere sævientem inter milites juniores et novos in nosocomiis apud Chatham annis 1794 and 1795 vix possum de hac re decipi.

Flavedo cutis et oculorum, nempe ex bile, erat indicium morbi gravis quidem, et fortasse magis frequens erat in hac secunda varietate, sed febres, quibus defuit hoc signum, multò sæpius occurrebant nec minus erant lethales.

Neque defuerunt exempla, quando febres speciatim recidivæ perstiterant diutius, ubi

ulcera olim cicatrice obducta, sine manifesta vel ex levissima causa redierunt. In mense augusto, 1796, addi potest, plures a me primùm repertos esse multùm labefactatos ex ulceribus crurum et laborantes hectica, quæ sola febris unquam sese exhibuit in nosocomio, quæque uti solet, diarrhœa colliquativa superveniente vitam finivit.

Nunquam nisi fortasse in articulo mortis, vel in celeri vel in longiore febre pupillam dilatatam cernere potui.

An febris remittens gravior a mitiore, et hæc invicem ab intermittente dignosci possit?

Affectus ventriculi, capitis et intestinorum quos clarè et distinctè indicant vomitiones, dolor ac delirium et alvus tardior, indicia erant haud dubia morbi gravioris in quavis constitutione, quibus calor et pulsus suppetias addant minimè spernendas ad ingenium

mali protinus probandum antequam febris periculum vitæ afferat.

Sensus frigoris major, vel horror, species linguæ quæ principio intermittentis rarò alba erat, ferê nunquam sublava, dolor capitis nullus fermè donec stadium supervenerit caloris, quem post breve tempus excipit sudor, desiturus in apyrexiam, præcipua sunt quæ imprimis indicant intermittentes omnes.

Aliquando tamen accidit, praesertim in tempore autumnali, ut febris intermittens, post unum vel alterum paroxysmum, horripilatione, calore et sudoribus primò stipatum, mutata fuerit in febrem remittentem satis gravem quippe quae vitam minitetur. Sed hoc rariùs occurrit, alvo et remediis idoneis non neglectis, et si attentio, qua est opus, assiduê adhibita fuerit ad notandum accessionem et progressum paroxysmorum singulorum, mutatio talis initiò medicum latere vix poterit.

Nunquam aeger prorsus est exutus intermittente vel saltem immunis periculo recidivae ex minima quaque causa, dum aliquid doloris vel molestiae, corpore erecto, musculis lumborum interfuerit.

Quoad prognosin in febribus remittentibus haec regula est perpetua. Tantò breviores et minus notabiles vel regulares remissiones fiunt, eò plus periculi est.

Prognosis multum pendet a pristina valetudine, a tempore anni, ab adventu recente, a constitutione aegri, a natura morbi grassantis, et denique ab ipsius morbi mutatione.

Ab experientia, nisi fallor, didici, proclivitatem quandam ad intermittentes presidio esse advenis contra remittentes graviores, neque ad hanc immunitatem assequendam opus est tanta proclivitate, ut non postea ad omnia militum munera optimè valeant.

Boni et mirabiles sunt effectus temporis anni in morbos. Per duos proximos annos hoc experti sumus. Ex Januario vel Februario usque ad Junium 1797, omnes ferê bene sese habebant. Hoc tempore, (Martii 7mo, 1798,) sanitas apud Sanctam Luciam vix ullibi superatur. Sed solummodo hujus loci est dicere hanc causam incògnitam non praestare eosdem effectus in intermittentibus ac remittentibus, nam natura et ingenium harum multò magis subitò mutabantur temporibus anni quam illarum.

Agnitum est omnibus neque meo testimonio eget, advenas, praecipuè e regionibus frigidis, plurimùm proclives esse ad febres lethales.

De constitutionibus hominum major est difficultas, quia res ipsa est obscurior. Quô quisque validior sit, nam de plenitudine vel obesitate non loquor, minus fortè erit pronus febribus non secus ac aliis morbis, sed si quando febre correptus fuerit, graviter premetur

idem et fortasse morbo periculosissimo. Plura exempla lethalia et quædam felicia firmant mihi hanc observationem de staminum robore, quod, missis ambagibus de temperamentis, haud ineptè monstratur musculis torosis, corpore quadrato, et quisvis sit color vultus vel capillorum, speciatim barba plus minusve rufa.

Natura et periculum morborum grassantium plurimùm pendent a tempore anni. In his duobus annis, praefecti aequè ac milites gravissimê plectebantur ex Junio ad Decembrem vel Januarium.

Quando recuperatio virium, nexu febris jam fracto, subsistit, vel difficilê procedit vel dysenteria subitô impeditur, obstructiones in visceribus jure suspicandae sunt. Nec facile est detegere ab initio ulla indicia harum obstructionum sicut mihi evenit, quanquam diligentissimê perscrutabar, quoniam excripseram in usum proprium literas eximias Domini Paisley plures ante

annos quàm publici juris factae fuerunt a Doctore Wade. Progrediente autem morbo, affectus hepatis haud infrequentur sese ostendunt. Quando autem intermittens corpus corripuit debilitatum febre remittente quodque haud raro evenit, lien sedes mali videbatur. Postquam morbus alteruter, per unam vel duas hebdomadas, sese muniverat, ut ita loquar, raro quidem accidit quin infelix alternatim ab utroque malo plecteretur, cortice peruviano, calomelane et caeteris, quae maximè reputentur cuique convenientia, nihil valentibus, donec adjumentum, neque semper constans, a reditu temporis sani, haec eadem remedia denique acceperint.

Haec sufficiant de prognosi generali seu communi: variae tamen res sunt propriae cuivis aegrotanti, quarum scientiam difficillimum foret impertire verbis quaeque inducant expertum bene vel malè de morbi exitu praesagire. Oportet omnia ferè hujusmodi nitantur observatione propria et sagacitate

cujusvis medici, nam in rebus medicis aequè ac in scenicis verba Horatii verissima reperientur.

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus et *quae*
> *Ipse sibi tradit spectator.*

Quoniam mihi deerat commoda facultas cadavera incidendi, multas amisi occasiones, quaeque heu! nimis se obtulerunt, scrutandi naturam morbi mortuorum sectionibus. Quorum tamen secui quaedam corpora, et hic dicam quae vidi in sectionibus duabus, acuto et chronico morbo selectis.

Validus quidam et musculosus, qui praeteritum tempus pluviae, uti loquuntur, et unicum in Insula Barbadensi egerat, ad Sanctam Luciam pervenit. Non ita multùm post, succubuit febri remittenti, at vehementissimae, quippe quae lethalis erat ante horas septuaginta. Stipata fuerat ab ipsis primordiis stupore ingenti, dolore capitis, vomi-

tu, et, si flavedinem excipias cutis et oculorum, ferê omnibus pessimae febris indiciis. Mors ejus occurrit in mense Septembri 1797, et primum exemplum erat febris tam mali moris quae illo anno sese obviam dedit. Omnia viscera summopere similia erant eorum hominis qui strangulatus fuerit. Vesica fellis referta est bile. Bilis nulla ventriculo interfuit. Tunica interna stomachi ipsius ruberior fuit, neque minimè referebat tunicam villosam, sicut, in anatomicorum injectionibus, videre est. Nullum dolorem, vita superstite, ventriculo proprium aeger conquestus est; ideoque vix potui considerare hunc statum visceris, nescio rectè an secus, nisi effectum morbi totius corporis. Contrà dolor immanis capitis urgebat aegrum, et caput incisum est haud indiligenter. Vasa durae matris et superficiei cerebri, grandia quidem et plena, fortasse non tumebant magis quam solent in homine tam quadrato. In ventriculis lateralibus, pauxillum fluidum est repertum, plus certè quàm ex consuetu-

dine, quippe quod unum cochleare parvum et dimidium impleret.

In altero exemplo, aegrotus post plures impetus febris remmittentis anno 1796, intervalla quaedam valetudinis satis bonae, inter alternas dysenteriae et intermittentis aggressiones febris, expertus est. Mortuus est et hic in Septembri 1797. Hepar schirrosum quod dicitur, inventum est. Inaequale, pallidum et majoris erat molis quàm in prospera valetudine, albidius etiam et multô durius in quibusdam quam in aliis locis. Lienis superficies aequalis erat, et quoad firmitatem et colorem nihil ipse immutatus, sed triplo fortasse major quam in statu naturali. Neque sanè difficile fuit, ex historia et indiciis morborum, a quibus tandem fractus erat, praescire conditionem talem horum viscerum repertum iri.

Nulla conjectura erat de contagione vel externa vel domestica et sanè nulla quidem

occasio sese offerebat, qua mihi data est minima ejus suspicio. Sit mihi fas attamen inficiari pro virili parte doctrinam quam quidam Americanus Septentrionalis recenter de hac re protulit. Iste auctor animadvertit contagionem sicut merum terriculum quod medicis, professsoribus et scholis decantare et quasi rem veram hominibus obtrudere placuit. "Nihil "tam absurdum dici potest quod non dica- "tur ab aliquo philosophorum." Sat erit relegare quemvis, qui sibi et humano generi infeliciter dubitet, si contagio existat vel existere possit, ad historiam Curiae Londinensis, uti legere est, in fastis Angliae sub anno 1750.

Mons Fortunatus, sic enim nuncupatur locus insulae munitus primarius, longè latêque infamis est propter intemperiem aeris. Qui plura velit scire de situ generali hujus montis et locorum vicinorum adeat libellum a Doctore Rollo scriptum, qui historiam morborum sicut videbantur per paucos menses, annis 1778 et 1779, memoriae tradidit.

Subita mutatio ex europaeo in coelum tropicum omnibus communis erat. Haec simul ac variae aliae causae olim acciderunt exercitui Anglico in hac ipsa et in aliis insulis occidentalibus, sed nunquam, uti credo, pro rata parte hujus vicis; navigatio enim ex Anglia, post plura incepta, tandem fiebat in ipsa bruma, et praeter memoriam hominum procellosa erat. Fatigatio maxima ab omni obsidione in regionibus tropicis non separari potest, nec labor cessavit, obsidione finita, quoniam sylvae et saltus insulae occupabantur ab hominibus agrestibus et ferocibus, antequam de deditione castri fuerat pactum. Multa etiam incommoda sequebantur urbis vel maximae ejus partis incendium, quod, injussum equidem, pactionem praegressum fuerat. Praedia fermè omnia suburbana et monti vicina, partim ex hac causa, partim propter bellum ferè civile, quod saevierat ante Anglorum adventum, derelicta erant. Inde fruges, et pisces et carnes, omnia rarissima erant, et mercatus, nisi fortè praetio enormi, gallinas,

ova vel lac non praebebant. Casae militares nec bonae, nec spatiosae nec satis numerosae ad capiendum praesidium, ut ex hoc patet quod duae catervae habitarent tuguria, quae pro re nata ad montis latera congesta fuerunt. Nec pluris valebant nosocomia, nimis enim erant parvae, minimè commoda, et propter situm localem insalubria. Si quis verò perpendat calorem diei cum vi radiorum solis, et frigora noctis cum nebulis spissisimis, et pluvias tropicas, aerem nocturnum et vigilias, et varia munera militum, quando hostis ferocissimus in propinquo est, causas multas et potentes videbit morborum.

Ex necessitate, milites semper, et haud infrequentur praefecti, quoniam multi commeatus ex Martinica invehebantur, victitabant ex annona quam Rationalis distribuebat, quaeque constabat praesertim ex pane nautico, carne bubula vel suilla salita, spiritu vini ex saccharo destillato, et pauxillo aceto. Diaeta autem aegrorum in noso-

comiis ferê semper conflata erat ex carne bubula recente, et ea deficiente, ex piscibus vel testudinibus, atque pane fermentato, cum saccharo, caffea, aceto, vino et oryza, quae penus publicus praebebat.

Omnes advenae tamen, valetudine adversa nondum experta, nimis negligunt regulam auream quae est apud Celsum. "At vere "paulum cibo demendum, adjiciendumque "potioni, sed dilutius tamen bibendum est:" Verùm enim verò primi menses, in tropicâ regione, sunt cuivis Europaeo quàm maximê vernales.

Longum foret enumerare omnes causas, quibus verê vel falsò imputatur montis insalubritas. Miasmata, procul dubio, sibi arrogant locum primarium, sed haec, qualia qualia sint, vel haud gignuntur vel morbum non pariunt, in omni tempore anni.

Observationes autem breves quae sequuntur, non suo usu carebunt, quoniam nec ob-

servandae, nec negligendae sunt, mea saltem opinione, sine paena aut praemio. In ipso monte, varii situs, quoad salutem admodum diversi sunt, quanquam satis propinqui, ut certissimè ex usu comperi, inter tria contubernia, quae meae curae committebantur et quae *Ordnance* anglicè audiunt. Eadem ferè constitutio, stipendium haud dispar, idem nosocomium, omnia ferè aequalia erant Tormentariis Anglicis et Hibernicis et Artificibus Regiis ; at hi duo minus plectebantur, propter situm casarum sicciorem vel obtectiorem: nam casae omnium trium nimis angustae et humiles erant, et proximè in terram positae. Casa una verò, prope casam Anglicam, humidissima, longè infamior erat, quaeque tormentariorum nosocomium fuit, antequam novum aedificatum fuisset. In eam viginti Tormentarii Exteri sese receperunt statim post adventum in Martio 1797 ; et, sicut evenit ea tempestate, satis bene primò sese habebant ; at omnes ante finem Augusti aegrotescentes in nosocomium generale admissi sunt. Contignatio, par-

va quidem et deserta, at tegulis proxima ideoque a terra remota, et prope Artifices qui degebant in foro magno, occupabatur in Septembri sequente per duos vel tres, qui ex nosocomio missi facti fuerant. Hoc feliciter cessit, vix enim unus casus recidivus occurrit inter omnes, qui identidem e nosocomio prodibant. Eòdem pertinet, ut dicam, dimidiam partem, quinque nimirum, remittentium graviorum, quarum historiam tradere anteà conabar, et ex quibus unus aut alter tantùm evasit, sese monstrasse inter excubias apud armamentarium prope urbem, loco humidiore et paludi aquae pigrae proximo. In Septembri 1796, hoc armamentarium funestum, me momente, evacuatum fuit. Vix unquam casae militum, loquor de omni praesidio, satis spatiosae erant, quapropter fenestrae vel transennae, quae auris respondent, maximo cum damno dormientium saepissimè apertae sunt. Alia erat causa morborum pleno meridie. Prava enim erat consuetudo militum recentius ex Europa, propter calorem, in monte subeundo, anhelantium, ut ad

omnem viae anfractum ubi ventus gratissimê spirabat inexpertis, gradum sisterent. Quidam etiam solvebant tunicas et thoraces, ad captandum auras, maximo cum vitae periculo. Sedilia et pergulae, in idoneis locis, utilissima fuissent, nec in hoc monte solummodo sed in aliis stationibus montanis atque tropicis. Propter nimiam perspirationem, quae, ab omni exercitatione tropicâ, sejungi non potest, periculum haud absimile, saepius accidit ex linteis indusiis. Gossipium, uti comperi per multam indagationem, vix valet ad obstandum huic incommodo gravi, et indusia lanea meritò anteponuntur, praesertim, ubi defatigatio toleranda est. Praeter alia munera quae participabant cum caeteris militibus, non est praetereundum Tormentariis saepius obtigisse multum laboris. Subinde ex uno castello ad aliud in vicinitate montis apparatus bellici summovendi erant. Aliquando etiam ipsi vehebant onera maxima et trahebant minora tormenta. Bis indies, per plures hebdomadas in anno 1796, descendebant ad urbem et portum; et, adjuvantibus operis oethio-

pibus, tractabant magna tormenta, ad ipsum castrum, quod propter itinera vitiosa et ascensum acclivum labor verê improbus erat.

Alia agmina aliquando beneficium capiebant universê ex mutatione regionis. Nam sunt situs et loca etiam in hac insula, cujus solum nomen terrorem injicere solet, in quae Hygeia tropica sese transferre non spernat. Fatendum tamen, talia longinquiora esse a monte Fortunato, ubi potissimum stativa Tormentariorum sunt.

Neque celandum est Tormentarios apud Sanctam Luciam, minimè immunes esse ab ista foedissima labe militum Britannicorum, de ebrietate loquor; etenim spiritus destillati et pravissimi, contrà jubente et pro virili renitente praesidii praefecto, (viro praestantissimo, quem nuperius flevit Patria*) clam venum dabantur.

* Moore.

Restat ut tradam quàm fidelissimè historiam tristem parvae exercitus partis, quae meae provinciae erat.

Certior fui factus relictos esse in hoc praesidio in diebus Junii primis 1796 centum et quadraginta quatuor, milites, et certissimum est 22do die Augusti sequentis me solummodo octoginta octo reperisse, quorum multi aegerrimi erant. De sexaginta hominibus qui intra tres menses hìc desiderantur, nihil pro certo proferre possum, sed valde verisimile videtur ut plures ob mutationem centuriarum, uti solet, ex insula oblegati fuerant. In quinque mensibus subsequentibus, mortui sunt triginta et unus, quoniam die vigesimo Januarii 1797 minuebantur ad quinquaginta septem; quibus, in Septembri ejusdem anni, sexdecim milites, Hiberni, et valentissimi et nuperrimè ex Europa aggregabantur. Ex antiquis, novem amandati sunt ad militiam alibi faciendam in centuriis mutatis; et sex, in 1797 quoque, ad sanitatem recuperandam

in Europam navigaverunt. Quindecim verò ad plures iverunt inter Januarium 1797 et Martium 1798, quando quadraginta tres tantum restabant. Hinc constat quadraginta sex mortuos esse ex Augusto 1796 ad Martium 1798. At si omnes sexaginta, de quibus suprà locutus sum, huic numero addantur, tertia pars intra duos annos non maneret; planè tamen plorandum est caeteros praesidiarios in multo minore temporis spatio, etiam magis adhuc plexos fuisse.—*N.* 1.

Rarissimè occurrit febris remittens gravior, sine alvi duritie vel praegrediente vel comitante. Ferè nunquam mihi contigit videre intermittentem denuò redeuntem, nisi ex causa manifesta admota, sicut ebrietate, frigore caeterisque hujusmodi, ubi venter non neglectus fuisset. Ex his itaque necessitas solvendi ventris satis constabat.

Ab initio misturam ex magnesia vitriolata,

vel natro vitriolato cum pauxillo antimonii tartarisati satis frequenter usurpabam, nec tamen universè. Ubi ubi nausea et vomitus aderant, locus non erat talibus medicamentis, et saepius, omnis sal medius, nullo antimonio addito, rejiciebatur. Simul ac experientia me docuit, vomitum magnam morbi esse partem, vix ullis remediis leniendum, et ventriculi irritabilitatem duritiei alvo prorsus exitiabili favere, pilulas ex extracto colocynthidis composito et calomelane suffeci. Modus calomelanos, vicibus adhibiti partitis, rarô superabat octo, decem vel grana duodecim. Post experientiam salium neutrorum, olei ricini, rhabarbari, et jalapii vel sine vel cum calomelane, meritò praeferri gravibus in casibus pilulae debent, quippe quae ventriculum minus offendant.

Irritabilitas ventriculi vix est submovenda, nisi febre sublata. Aptissimè autem lenitur purgantibus et enematis laxantibus, quae usui erant in omni ferè stadio febris et praesertim in principio, antequam medi-

camenta alvum solverent. Haustus efferve-scentes haud inutiles erant et ita compositi sunt, ut acidum vegetabile semper paullulùm abundaverit. Magnesia alba et succus limonis, mutatis vicibus, dabantur haud incommodè. Vesicatoria quae saepissimè regioni epigastrii admota erant, interdum levabant et vomitum et nauseam, sed haec symptomata, saltem in gravioribus casibus, unà cum crastina exacerbatione revertebantur. Si quando alvus soluta fuerit nec vomitus omnino exulaverit, enemata anodyna haud minimè valebant ad compescendam ventriculi irritabilitatem. Multùm doleo difficultatem, quâ balnea instruantur, eorum usum saepius impedivisse, quoniam efficaciora erant quam pediluvia vel fomenta ad ventriculum sopiendum.

Remittentes rarò patiuntur praeparata antimonii, sed si forte spes fuisset excitandi vasa cutis, ventriculo adhuc imperturbato, antimonium tartarisatum, at modo minimo, non incommodè aliquando cum pilu-

lis purgantibus conjungebatur. Secundum meam experientiam et hîc et in Europa, Pulvis Jacobi jure anteponitur Pulveri Antimoniali, sed unus et alter cautela summa, et minimis dosibus semperque in pilulis adhibendus est; ne ventriculus in nauseam et vomitum cieatur.—*N*. II. Febres intermittentes frequenter emeticorum egent, et ipecacuanha tantummodo usurpabatur.

Cinchona nec potuit nec debuit adhiberi, nisi in remissione febris; et in exemplis gravioribus, quibus remissiones brevissimae aut ferè nullae erant, vel nomen ipsum corticis peruviani ventriculum turbabat. In remittentibus etiam mitioribus infusum vel decoctum tantùm dari poterant. Solus cortex vix valebat, multis in exemplis quotidianae, ad paroxysmos compescendos, etiam ubi intermissio satis longa et distincta fuit, et nihil impediebat, quo minus, idonea in quantitate, pulvis ipse devoraretur. Ex his observationibus multùm dubitare coactus sum, de effectibus, qui remedio huic liberrimè

condonantur ab auctoribus, qui de regionibus calidis scripserunt. Aliquando etiam mihi injectus erat scrupulus, at fortasse falsò, cinchonam, quae nosocomii hujus est, inquinatam esse. Et certissimum est me una vice vidisse gravem tertianam duplicem * feliciter profligatam usu corticis peruviani, at flavi, at optimi, quem extractum colocynthidis et natrum tartarisatum adjuvabant quemque medicus exercitus suppeditavit. Quandocunque cinchona, cujus potiebar, me fefellit vel videbatur vix satis valere ad arcendos intermittentis paroxysmos, utebar calomelane in dosibus minimis nec ad intestina movenda idoneis, et binis his remediis invicem sibi auxiliantibus, intermittens faciliùs et sine ullo incommodo victa est.

Si dolor capitis, vel species faciei, morbo aggrediente, minimum metum afferret delirii, capillitium statim abrasum erat, et caput

* Cullen. Synops. Nosolog. G. Tertiana. I. 2. F.

saepius abluebatur frigida, vel succo limonis vel aceto. Vesicatoria etiam vertici vel nuchae vel tempori utrique admota, proficiebant aliquid ad delirium arcendum vel moderandum.

Operae praetium fortasse erit monere me vix unquam observasse eos effectus cantharidis in renibus aut vesica urinae, qui saepius inde oriuntur in Britannia et cum summo aegrotantium dolore. An ex majore exhalatione per cutem? An mira historia cujusdam calculosi, quam tradit Doctor Moseley, explicari quodammodo potest eadem ratione? An hinc possumus deducere indicationes in curandis calculosis et diabeticis in regionibus frigidioribus?

Argentum vivum saepius usitatum fuit in febribus regionum calidarum, et ab variis auctoribus quorum consilia medendi admodum sunt diversa. De viribus purgantibus calomelanos jam dixi; nunc restat ut dicam me quoque expertum esse effectus optimos

ex actione ejus continua et permanente, et in dysenteriis et in febribus remittentibus. Non inficior hoc remedium minùs valere in quibusdam exemplis gravioribus, praesertim febris remittentis, et haud infrequenter edere effectus nec gratos nec utiles; at frequentius in his quam in illis. Cujus rei ratio patebit fortasse ex hoc, dysenteriam rariùs fuisse morbum primarium aut exquisitè acutam; et quando opus erat hydrargyro, tempus non defuit ad exhibendum remedium paulatim, et minùs difficile erat et medico et aegro detegere ejus actionem in limine, ex spiritu, sapore, specie gingivarum vel dolore dentium. Doctor Joannes Clark vix mihi videtur nimiùm laudasse calomelas in curanda dysenteria in regionibus tropicis, et hoc remedium et diaphoretica, quae haud immeritò laudantur a Doctore Moseley quique primus, scilicet! ursurpavit sudorifica, conspirant amicissimè ad sublevandum omnia dira symptomata.—*N.* III. Si quicquid mali saepius exinde oriretur, imputetur fortasse haud injustè, vel impruden-

tiae aegri vel incuriae medici. Non ita res se habet in febre remittente, etiam mitiore, cujus cursus citatus et periculum, quo vita intentabatur, vix patiebantur eandem curam et moderamen in hydrargyro exhibendo.

In exemplis igitur, ubi febris graviter urgebat atque in his solis, calomelas datum est usque ad octo vel decem grana, vel pulvere ex cochleari, vel implicitum cum syrupo, et haec quantitas repetita fuit secunda vel tertia quaque hora. Ubi primùm os malè se habuit ex hydrargyro, omnia symptomata mitescebant, calor et dolores capitis et corporis artuumque minuebantur, cutis devenit mollis et humida, ventriculus ipse placabatur ac subitô fiebat aptus cibo recipiendo, et aeger omnibus suis angoribus statim liberatus, ex hoc tempore eventum felicem praesagivit. Minimê autem celandum est hanc victoriam laetam pluribus in casibus nunquam adeptam esse, vel ex statu nimis provecto morbi, vel ex natura ma-

li remedio majoris. Non oportebat diu in hac methodo perstarem, etenim in gravioribus exemplis cita mors vel signa ejus certissima usum remedii diremerunt, vel in felicioribus ejusdem generis, post ejus actionem in glandulas salivales, aeger in vado erat, vel denique, morbo perstante quidem, at non augescente, minuebatur modus calomelanos, cui secundum aegri statum alia remedia conjungebantur. Ob has varias causas vix unquam exhibui plus quàm duas drachmas calomelanos per primas viginti quatuor vel triginta horas.

Nunc dicam plenius calomelas ita adhibitum gravibus malis non carere.

Dolor enim oris aliquando est immanis, et salivatio, quae, indies ingravescens, impedit quo minus appetitui efflagitanti indulgere possit aeger, neque haec semper, plures post dies, ope assidua enematum et olei ricini, temperanda sunt.

Interdum facies caputque totum dolent et fiunt tumefacta, paulatim solummodo levanda et minuenda a materia saniosa et salivatione nimia, quae subsequuntur. In exemplis duobus, quoad caetera valde dissimilibus, tumori hujusmodi aderant convulsiones, spasmi, stupor et spuma ex ore. Uterque, at non sine vitae periculo, evasit.

Semel tantùm usui calomelanos supervenit alvus sine modo fusa, et succubuït aeger, neque satis pro comperto habeo an diarrhoeae accidentali, quippe alvi durities nimia praegressa fuerat, an hypercatharsi ex remedio, an fortè ipsi febri potissimùm mors tribui debuisset?

Hydrargyrus et acida vegetabilia simul devorata non bene conveniunt semper. Valde suspicatus sum catharsin et tormina nonnunquam oriri ex usu acidi vegetabilis, si quando calomelas corpori praesens fuerit. Ex propria experientia in memet comperi semel atque iterum, nisi multùm fallor, vim

calomelanos non purgantem tantùm, sed quâ pollet in os propriâ, aliquando auctam fuisse usu fortuito fructûs aceto conditi, vel succi limonis syrupo et aqua commisti. Nec fortasse deerunt plura exempla ejusdem rei cuiquam libros Doctoris Wade accuratius perscrutanti.

Non secunda itidem ac prima vice praestabat calomelas ad febrem domandam, sive ea recidiva sive post intervallum regressa fuisset. Hae obstructiones, hepatis praesertim, quae in regionibus calidis tam frequenter excipiunt febres omnigenas, erant rariores fortasse, uti credo, propter usum calomelanos primarium, nec tamen ignotae, speciatim iis in exemplis, ubi actio remedii nimis vehemens et propterea haud satis diuturna fuerat. Hydrargyrus in dosibus minutis erat sanè utilis in morbis chronicis hujusmodi, nec tamen omnino praestitit effectus quales memoriae tradidit D. Paisley. An ullo modo tribuendum est hoc priori et uberiori ejus usui ad febrem, quae praecesserat, de-

bellandam? An inopiae ipsius praeparati celebris medici orientalis?

Hîc dici debet nihil propemodum valere hydrargyrum in curando liene morboso, sive hoc viscus solùm, sive unà cum aliis abdominis visceribus laboret.

Opium manifestè non convenit huic morbo ineunti, quippe quia omnia ex alvo astricta in pejus ruunt, et minimè idoneum mihi videbatur ad domandum vomitum, qui hanc febrem comitatur. Praesidium quidem haud ineptum fuit in casibus longioribus, ubi calomelas alvum nimis solutam reddidisset.

Vinum quoque minus congruit ingenio mali et nequaquam dandum est in casibus vehementioribus. At si aliquantulum concederetur opinionibus aegri, oportebat probè mistum fuisset cum multa aqua. In recidivis minùs laedere videbatur, et post febrem finitam, vini usus postulabatur ad vires reparandas.

Perpauca tantùm exempla vidi quae typhum auctorum referebant. Re ita se habente, cortex peruvianus, vinum, et alia id genus adhibita erant. Capsicum commodissimê datur in pilulis et haud inutile erat quando aegri lentiùs ex febre convalescunt, vel ab ulceribus vetustis crurum patibiles fiunt.

Praeter nosocomii diaetam, quae plerumque constabat ex pane, oryza et jusculo bovino, vinum, sago, et fructus musae maturi frictique cum saccharo, solummodo fermè mihi suppetebant ad reficiendas vires aegrorum. Ferrum vitriolatum et infusum corticis peruviani aliquantùm adjuvabant. Majoris verò praetii erant indusia lanea ad instaurandam valetudinem. Mutatio coeli adhuc vi majori pollebat, et omnis mutatio post gravem morbum utilis erat.

Nec cum remediis suprà memoratis, omnia mea tentamina desiverunt. Etenim non ita pridem accepi ab amico quodam, medici-

nam in Demarara faciente, missionem sanguinis, si celebretur intra horas duodecim ex aggressione febris, bene fieri ibi loci usque ad deliquium animi, et postea balneum frigidum usitatum esse non contra febrem solummodo, sed ad effectus hydrargyro proprios in glandulas, quae salivam secernunt, celerius certiusque eliciendos.

Haud equidem ignorabam haec remedia splendidè laudata fuisse in opere egregio a Doctore Jackson scripto, sed ut verum fatear, semper veritus sum experiri vel unum vel alterum, antequam de hac re ita certior factus fui. Frigida enim minimè congruens et ferè contraria videbatur calomelani, cujus usum tutum et haud inutilem in transitu ex Anglia ad Barbadam expertus sum. Neque oblitus fui quae Doctor Lind,* auctor non minimi nominis scripsit de effectibus perniciosis, vel prorsus exitialibus qui ex sangui-

* Vid. pp. 31—33. Dissert. Med. Inaugur. Jacob. Lind. Edinb. 1768.

nis missione in febre remittente Bengalensi profluxerunt, et si respicias ad intimam naturam febris utriusque, fortasse non tam diversae reperientur. Neque me fugit ambiguum quod oriri potuit ex difficultate, qua, in ipsis incunabulis distinguantur variae cohortes febrium, quae symptomatis et formis multò minùs quam periculo inter se discrepant.

His diligenter perpensis, decrevi sanguinem mittere non profectò ad animi deliquium, sed ad uncias duodecim. Quadam experientia edoctus, hanc methodum tutam et salutarem expertus sum in iis, quibus robur vel valetudo adhuc integra et recens ex Europa adventus aderant. Symptomata quae hanc exinanitionem praecipuê postulant, sunt dolor in capite, torpor in primo morbi ingressu, rubor faciei et oculorum, et pulsus validus et frequens.

Usu compertum habeo actionem hydrargyri in glandulas secretioni salivali inservi-

entes reverà intentam esse per usum balnei frigidi. Mihi mos erat, praesertim in principio, abstergere et quàm accuratê siccare omnes corporis partes, ut mala ex frigore excepto evitarentur. Majore verò fiducia comparata vel omni saltem metu abacto, me accinxi ad experiendum balneum frigidum non uti auxilium merum hydrargyri, sed uti remedium primarium, quanquam multa usurpationi ejus facili commodaeque defuerunt.

Purgantibus quibus opus erat, quamprimùm adhibitis et si necesse visum fuerit, nonnullo sanguine abstracto, nihil plus fermè factum est nisi fortasse ut fotus pedibus admoverentur et calomelas daretur pro necessitate, quae urgebat vel urgere videbatur. Evacuationibus satis copiosis deorsum adeptis, nunquam non mitescunt aliquantisper symptomata; et tunc temporis adjutus est aeger descendere in frigidarium, quod ex necessitate instructum erat aqua puteali. Sed brevem post hujus methodi

experientiam, mutata est, et multa aqua super corpus totum affusa, et nulla abstersione facta, aegrotus statim portatus in lectum, inter lodices laneas positus est. Mirum est, quantus sudor erupit maximo cum allevamento aegri; neque debilitas quae timeri potuit, subsecuta est. Si quando abstergatur aeger, et stragulorum usus intermittatur, nullus ferè sudor manat, quo est opus, primâ vice imprimis, ut depellatur febris. Postridiè, ante horam, qua febris primùm accessit, usus aquae frigidae repetitus est ad exacerbationem alteram arcendam, et ex sudore tempestivè erumpente et fortasse ex quodam alio frigidae effectu, satis feliciter hoc cessit. Hanc methodum, nisi fallor, Doctor Jackson exequebatur et commendavit.

In occasione una vel alterâ, sensus frigoris vel etiam horror occupabat aegrum; sed potu tepido adhibito, praesertim vino aqua commisto, haec symptomata cessaverunt.

Nulla aura admissa erat aegro inter cor-

pus lavandum, et postea multò curabatur, ut sudor subinde abstergeretur, praecipue ex praecordiis et abdomine. Sedulò etiam cautum fuit, sicut in methodo sudatoriâ ad dysentericos, lasanum praebendo patulum, ne quid detrimenti aeger caperet ex lecto incautê relicto.—*N*. IV.

Ex quo tempore his remediis usus fui, aliquantulùm magis mihi gratulor de successu quicum obviam ivi febribus vehementioribus, etiam inter Hibernos nuperrimè ex Europa, et si haec febris periculosissima debellari, et si fas est dicere, "jugulari" possit, credo equidem id potissimum factum iri usu tempestivo lavationis frigidae, cui sanguinis missio ritè opituletur.

Nequaquam is sum attamen, qui suadeam ut medicus, nulla meditatione facta, committat salutem omnium aegrorum eodem morbo laborantium uni eaedemque curationi, quippe quia multa occurrant omni ferè hora unicuique aegroto propria, quae medicamen-

ta communia detrectant atque respuunt. Mihimet verò persuadeo sanguinis missionem et lavationem frigidam, quae remedia primaria in ipso principio videntur ad compescendam febrem remittentem de qua hîc agitur, adjuvari posse aliis, sicut res postulaverint. Praecipua ex his, me quidem judice, sunt, purgantia, hydrargyrus, cinchona, balneum calidum et vesicatoria, atque, progrediente morbo, opium, vinum et alia stimulantia.

P.S.—Cum recentiùs mecum volvebam de petendo summos in Medicina honores ab Alma Academia Edinburgensi, in qua olim studiis medicis operam dedi, meditari coactus fui de tentamine inaugurali, quod statuta solemnia expostulant.

Neque hoc admodum erat in proclivi, ob schedas meas in Insula Curaçoa relictas, quando, An. 1816, propter valetudinem infirmam liqui legionem (septimam Indiae

Occidentalis) in qua Chirurgus per multos annos stipendium feceram.

Hac difficultate me liberavit quodammodo humanitas viri amicissimi, qui summa benevolentia mihi transmisit, haud ita pridem, easdem chartas, quas ferè viginti abhinc annos, mense Martio Ann. 1798, ex officio et lubentissimè, communicavi cum illo, tunc temporis Praeposito rei medicae ejus exercitus partis, quae *Ordnance* nominatur, in India Occidentali.

Ex quo tempore me occupavi in labore excerpendi quae suprà dixi, nunquam non aderant animo meo haec gravissima verba optimi et elegantissimi HEBERDEN, quibus huic dissertationi finem imponam: "Maxi-
"mum instat periculum in omni aegrotati-
"one, ubi stomachi vires adeo debilitantur
"franguntur que, ut res omnes respuat, et
"aversetur; tanquam conscia foret natura
"vitam ad finem properare, et nulla ope re-

" vocari posse, et proinde omnem rejiceret. " Hanc, ut ita dicam, mortem ventriculi, " totius vitae interitus brevi subsequi con- " suevit." *

* Gulielmi Heberden Commentarii de Morborum Historia et Curatione, ad finem, Cap. 2do.

ANNOTATIONES QUAEDAM.

N. I. ad pag. 30.

Legiones quinque ex Europa, videlicet 31ª, 44ª, 48ª, atque 55ª, et una, (cui nomen York Fuzileers) quae constabat magna ex parte, nisi fallor, ex Germanis, relictae fuerunt in Junio 1796, unâ cum legione aethiopum, cujus numerum nescio, at cui Praepositus olim fuerat Malcolm. Alia legio Britannica, nempe 87ª, advenit mense Maio an. 1797. Tormentarii Exteri, de quibus loquor, in textu, ad p. 25. quique soli hujus ordinis non meae curae erant, abierunt ante finem An. 1797, septem sepultis ex viginti in paucis mensibus. Altera legio aethiopum, cujus Praepositus in insula erat *Druault* et cujus, sicut prioris, praefecti plures erant Galli et Insulani Occidentales, postea accessit A. 1796. Credo equidem, paucos tantùm milites aethiopes aut praefectos harum legionum esse mortuos, vel fortassè malè se habuisse. Omnes aliae legiones suprà memoratae, praefecti aequè ac milites, quàm atrocissimè plectebantur. Erat reverà una legio Britannica, 38ª, exquisitè sana per totam at brevem commorationem, appulit enim in Martio 1797 et insulam liquit in Maio ejusdem anni.

N. II. ad pag. 33.

Pulvis antimonialis pharmacopoeiae Londinensis hodiernae mitior est quam antiquus, de quo dicitur in textu, et creditur mutatus fuisse, uti similior redderetur pulveri Jacobi. Praeparatum olim idem erat ac oxidum antimonii cum phosphate calcis, seu pulvis antimonialis, secundum Pharmacopoeiam Edinburgensem An. 1817.

N. III. ad pag. 36.

Inter auctores quorum scripta in compendium redegit Doctor MOSELEY, nomen B. RAMAZZINI desideratur, qui nihilo tamen minus sic scripsit de hoc morbo. "Eadem penè methodo castrenses dysenterias curandas "putat (videlicet G. ERRICUS BARNSTOFF Ducis Han-"noveriensis archiater) eadem bezoardica (Tinct. Be-"zoardica WEDELII) bis vel ter in ipso principio, *opi-"atis in parva dosi* permista, propinando, ut *coercito "humorum ad alvum impetu, laxatisque partium nervo-"sarum fibris, sudori fores liberius paterent, eodem tem-"pore corpus stragulis bene contegendo* et crustam pa-"nis spiritu vini calido impregnatum umbilico appo-"nendo. Habito autem juxta votum sudore, si corpus "purgatione aliqua indigeret, pulverem laxativum ex "Rhab." &c. &c. In RAMAZZINI Operibus, Cap. XL. de Morbis Castrensibus in libello de Morbis Artificum.

N. IV. ad pag. 47.

Nefas propè mihimet videretur, disseruisse de balneo frigido, et silere normam definitam et verè tutam quam primus promulgavit Doctor CURRIE de administratione externa aquae frigidae *in febribus puris*, quippe quia remedium, utile tantummodo quando tempestivum, facillimè abuti queat, ut olim et nunc quotidianà ferè experientia comprobatum est. Cujus rei confirmatio, fortasse ex suprà dictis, satis superque patet. Statuit amplissimus medicus affusionem aquae frigidae tutam et salutarem fore, si nullus erit horror, si calor cutis constans stabilisque gradum naturalem superabit, et si sudor universus aut copiosus non intererit. Subjunguntur ejus verba. "When there is no sense of "chilliness present, when the heat of the surface is "steadily above what is natural, and where there is no "general or profuse perspiration." P.17. A.D.1798.

Multùm et satis insulsè disputatum fuit de primo inventore lavationis frigidae. Non moror quaestiones de historia mera remediorum. Liceat, quibus talia placent, legere haec prompta ex opere Doctoris GRAINGER, de historia febris Anomalae. "Anne ergo immersio in frigidam aquam conveniret? Hoc commendatum a quibusdam in India Occidentali medicinam facientibus novi." Hist. Febr. Batavae Edinb. 1753. Quaedam praeclara dixit Lommius de usu interno aquae frigidae in libro de curandis febribus continuis. Vide quoque CULLEN'S *First Lines*, paragr. 210.

Nihil certò opus est, ut ego laudem virum, quem, summis laudibus cumulavit praeclarus Currie propter noticiam primam hujus remedii utilissimi, quemque designavit uti " ducem tutum" in nostra arte difficillimâ. Quis, autem, qnantulumcunque imbutus studiis ad medicinam pertinentibus ignorat scripta Ipsius, qui hîc significatur, tam medica quam botanica. Opera, enim ejus, nimis quidem sparsa, sed si materies et utilitas respiciantur, maximi ponderis sunt.

Per multos annos, summa voluptate, cognovi hunc virum, benevolum et beneficum, neque, uti spero, gravabitur accipere hoc amicitiae privatae testimonium quod illi offero, nimia forsan libertate, at veritate summa et ex imo corde, et ea reverentia quae quàm maximè debetur et aetati, et meritis, et dignitati Gulielmi Wright, M. D.

FINIS.

INDEX.

ANNOTATIONES QUAEDAM.